

44367/B

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE
SANATIONE FORTUITA,
Von Menschen die unversehens gesund werden,
QUAM
DEO PROPITIO,
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,
PRÆSIDE
DN. D. MICHAELE ALBERTI,
POTENTISSIMI REGIS BORUSSIÆ CONSILIARIO AULICO, MEDICINÆ ET PHILOSOPHIÆ NATURALIS PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, ACADEM. CÆSAR. NAT. CURIOS. COLLEGA,
FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,
PATRONO, PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO CUM HONORIS CULTU PROSEQUENDO,
PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBUS, INSIGNIBUS AC PRIVILEGIIS MORE MAJORUM SOLENNI OBTINENDIS,
HORIS ANTE-ET POMERIDIANIS.
D. OCTOBR. MDCCXXI.
PUBLICÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBMITTET,
RESPONDENS
BERNHARD. WILHELM. RÖDDER,
LIPSTADIENSIS WESTPHALUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis JOANNIS CHRISTIANI HENDELII, Acad. Typogr.
RECUSA MDCCXXIII.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

315778

PROOEMIUM.

Quicunque Medicam artem exosam reddere & denigrare gestiunt, illi opprobria talia producunt, quæ multoties declinata sunt, quod videlicet Medicina omnium artium sit incertissima, quod vero & stabili fundamento sit destituta, quod mere conjecturalis existat, quod faciat experimenta per aliorum mortes, quod inter ipsos artifices varians & dubia sit & uti *Helmontius in tr. de studiis suis* professus est. *n. 17. Volui comitari practicantem medicum; mox insufficientiæ, incertitudinis & conjecturarum medendi, me etiam atque etiam pœnituit:* & paulo infra: *Subiit mihi tum in mentem, quod ars medendi, inventam esset impostura plenum, citra quod Romani feliciter quingentos egerant annos:* quo spectat illa *Heraclitii* contumelia: *si non essent medici, nihil stultius esset Grammaticis*, quam *Casp. Rejesius Camp. Elys. juc. qu. 8. p. 119. seq.* diluit: ejusdem commatis est, quod *Perisaltus Faustinus*

Poeta de Medicis cecinit: *heu mihi quam ſtultum eſt, medicorum credere nugis:* hinc ante multos annos contra Medicinæ utilitatem & neceſſitatem ſcripſerunt *Ferdinandus Nonius*, *Michael Montanus*, *Martialis* & *Petrarcha*, qui ultimus elocutus eſt: *Medicis nunquam credidi, nec credam quidem*: quibus ſingulis opprobriis rationalis Medicina cum illo ſymbolo *Sigiſmundi* Imperatoris ſatisfacit, *pulchrius eſt benefaciendo, quam potentia inimicos vincere*; vel ut *Damaſcenus* eloquutus eſt: *medicum efficacem eſſe oportet in opere, non loquacem in ſermone:* quare opus artificem laudare & probare debet, licet multiplicia argumenta a priori Medicinæ authoritatem, neceſſitatem, utilitatem & certitudinem demonſtrantia & defendentia occurrant, quæ tamen hoc loco proponere non lubet: interim minime negari poteſt, quod in foro Medico multi errores multique ſiniſtri effectus obtingant, quos cum ſincera artis exercitatione confundere velle, temeritatis & imprudentiæ ſignum eſſet: unde nonnunquam auxilia in certis caſibus & uſibus ſalutaria, ſub inverſa applicatione noxam parere conſpiciuntur, ut verum evadat, quod *Galenus in meth. med. lib. 2. c. 2.* enunciavit: *nihil eſt, quod tam magnifice proſit, quod aliqua ex parte non noceat:* quare adminiſtratio artis medicæ, prudentiam & dexteritatem requirit, ne perverſæ & incongruæ medendi methodi inveniantur & applicentur, ne vana & ſterilia auxilia commendentur, ne ſuperſtitioſa ordinentur, ne confuſa experimenta approbentur, neve ridicula ſuſcipiantur, hinc olim *Michael Ayala in Epigrammat.* cecinit: *Proſit ut ægrotis medicam nil dedecet artem, id fiat-*

ſalva

salva relligione modo: imo subinde indies tales eventus siniſtri exercitii medici occurrunt, ubi & medicamenta incongrue usurpata & medici male morbis consulunt, quo spectat illud *Verini* & *Oweni: Impediunt certe medicamina plura salutem, non plures medici sed satis unus erit: nunquam crede mihi a morbo curabitur æger, si multis medicis creditur una salus:* Quid Curatio *æquivoca* & sanatio *per accidens* rationali Medicinæ præjudicet, diserte & solide demonstravit *Celeb. D. D. Stahlius*, ubi sæpe contingit, ut salutares effectus non medicinæ, sed longe aliis causis & causarum concursibus adscribi mereantur: exinde vero illa falsa ac sterilis accusatio inclaruit, ut sub tali consusa artis medicæ facie aut larva, peregrinæ circumstantiæ, imo plane non entia attendantur, e quorum numero merito illa famosa Fortuna recenseri debet, ad quam sub quolibet imperito artis medicæ exercitio plurimi temere provocant: inde *Chilo*, referente *Laërtio* interrogatus *quid esset fortuna, respondit! Ignarus medicus! multos enim excæcat:* recte itaque *Aristoteles lib. 1. methap. c. 1.* dixit: *Experientia artem fecit, imperitia casum*, aut uti *Plato* in *Gorgia* disserit: *Peritia efficit, ut vita nostra per artem incedat: imperitia, ut per fortunam temere vagetur:* hæc cæca, vana & fallax fortuna multos decipit, quo minus rationi, sed plus Empiriæ studeant: quare cum *Hippocrate B. Bohnius de officio med. dupl. Part. 1. c. 2. p. 19. 20.* illos reprehendit, qui in fortunam suam spem & fiduciam collocant, cum rectius divinus rerum humanarum arbiter medici actiones dirigat & promoveat: quantum enim detrimenti Medicinæ afferant ejusmodi superstitiosæ

curationes, expectationes & fiduciæ, multiplices casus confirmant, ut ita necesse esse judicemus, quo ab ejusmodi offendiculis quacunque occasione ars Medica liberetur & suæ integritati quamprimum restituatur: etenim tales Sanationes Fortuitæ seducunt superstitiosos, credulos & cum fæce plebis colludentes medicos ad crassam & fœdam Empiriam, sive cæcam nudorum experimentorum applicationem & tentationem, inde magis magisque rationalis methodus evilescit, proptereaque talis Medicinæ nomine indignus ausus fallax, sterilis, incertus, insecurus & periculosus evadit: & ex ejusmodi confusis & temerariis conatibus sub prætextu & protectorio salutiferæ & rationalis medicinæ oriuntur illa vituperia & contumelioſæ illæ obtrectationes, quibus ab imperitis, malevolis & audaculis tota ars medica contaminatur: quare tales rerum humanarum vicissitudines & conditiones eo magis prudentem artificem alliciunt, quo negotia sua scite, perite & conscientiose tractet; quo animum ab omni præcipitantia, credulitate cæca experimentorum inquisitione, confusa remediorum applicatione & omni dissoluta qualitate liberet, contra vero nihil sine evidente, solida & probata ratione suscipiat, committat & omittat: eo major etiam subinde circumspectio habenda erit, quo magis artifex medicus variis salebris & anfractibus expositus est, e quibus non infimæ notæ est illud offendiculum, quando non pauci ad illud famosum idolum, quod vulgo Fortuitum audit, confugiunt: permovit nos hæc meditatio dum Inaugurali quodam specimine Practicam quandam consi-

dera-

derationem commendare ſuſcepimus, quo de SANATIONE FORTUITA mentem noſtram brevibus explicemus & quantum occaſio tractationis admittit, inſuper damna recenſeamus, quæ rationalis Medicina ab hac ſanatione famoſa ſubit: Rogamus autem ante omnia, quo Benigniſſimus DEUS noſtris cœptis gratia ſua annuat, ut proſpere ſuccedant.

§. I.

MOrborum *Fortuitas Sanationes* explicantes, ante *ſpecialem* hujus thematis deductionem, in ipſo *titulo* adhuc hærere paululum neceſſe eſſe judicamus, quo ante omnia conſtet, quid ſit *Therapia Fortuita* aut Sanatio *Fortuito* impetrata: & ita facile conſtat, quam *multiplex* ſit methodus medendi inter medicos, hinc multi certis *ſuppoſitis* & *opinionibus* nituntur & ad illorum tenorem *practica* ſua *tentamina* accommodant; quodſi vero evenerit, ut ſucceſſus, effectus & eventus *non reſpondeant* ſpei, tunc *confuſæ* & *temerariæ* obſervantur actiones & medicationes: multi firmam *fiduciam* collocant in nonnulla *remedia*, *experimenta* & *formulas*, quæ interdum cum *eximiis titulis* exornata circumvolant; & ſi hæc deſideriis, *promiſſionibus* & *expectationibus* non ſatisfaciunt, tunc reliqua etiam ſpes *dubium* & *confuſum* reddit artificem: interdum alii *univerſalibus*, aliqui *ſpecificis*, *arcanis* & *myſticis* remediis fidem ſuam dant & ita multis modis morborum therapiæ variant, ut nimis *diffuſus* nobis labor videatur, in hac conſideratione diu moram nectere velle: interim ad noſtrum ſcopum pertendentes, deprehendimus, quomodo *interdum* nonnulli morbi auferantur & *præter opinionem* & *intentionem* vel *medici* vel *ægrotantis* tollantur, quamvis cum oblatione medicaminis in *dubio* & *imperito* medico aut medicaſtro *conatus* & reſpectus conjunctus fuerit, *aliqualem* opem

pem & utilitatem afferre, interim res ita cedunt & *succedunt*, ut aliquando *totus* morbus extirpari videatur, quare & medici & ægrotantes in *admirationem* trahuntur, cum ipsi nesciant, unde tam *inopinata* sanatio dependeat, quam propterea sub hac cæcitate *naturæ* adscribunt, quam *naturam* plurimi tamen *ignorant*, interea ad eandem tanquam *asylum* confugiunt: & quando varia alia *efficta* theoremata non necessariam rebus lucem affundunt, tunc illam accusant: dum itaque in *notatione* Fortuiti aliqua *obscuritas* subesse potest, hinc è re nostra erit, quo indicemus quid *Fortuita Sanatio* proprie existat: ast missis illis *diffusis Fortunæ* & *Fortuiti* scrutiniis, quotquot passim occursant, brevibus quidem significamus quod tales notiones *otiosæ*, speciosæ & *profanæ* existant, *Ethnicis* præcipue usitatæ & magnam *superstitionem*, *idololatriam*, cæcitatem & *ignorantiam* involventes, ubi varii *successus* & *eventus* rerum vel a *bona* vel a *mala* causa provenientes, *incognito* ejusmodi *idolo*, quod *non entium* numero abscribi meretur, perperam imputatur: per *Sanationem* itaque hoc loco intelligimus *ablationem* & abolitionem alicujus morbi, ut ad minimum quoad suos *externos* & crassius in sensus incidentes characteres cesset, licet aliquando *causa* morbifica simul profligata & subjugata sit: quare dicitur sanatio, velut sanitatis aut *veræ* aut *apparentis* restitutio: *Sanatio Fortuita* viciſſim *est morbi* qualiscunque *sublatio cum remedio, methodo, effectu & eventu principalius morbi indole plane non competente aut eidem interdum plane adverso:* propterea etiam audit *fortuita*, tanquam *improvisa*, inexpectata, neque etiam ulla *solida* ratione concipienda: ubi quidem interdum artifex *credulus*, *superstitiosus* aut *imperitus*, *incongruum* quoddam medicamen ordinat & de illo aliqualem salutarem effectum sperat, quod vero non modo satis sæpe morbi alicujus *indoli* penitus *contrarium* existit, sed & cum *effectu* admodum *inconveniente* nihilominus morbum quadantenus tollit, cum *rationi* magis consonum videatur, quod sub hisce circumstantiis morbus rectius *augeri* debeat & quoniam hi respectus *contrarii* & *contradictorii* non sta-

tim

tim *cum ratione* conciliari possunt, eapropter alicui *occultæ* qualitati, *obscuræ* causæ & ignorantiæ *asylo*, videlicet *Fortunæ* accensentur: inde emergit *Sanatio Fortuita*.

§. II.

Proinde interdum *Sanatio Fortuita* contingit, quando *accidentales* quædam alterationes, quæ tamen *minime* cum *medico* scopo cohærent, talem effectum post se relinquunt, qui morbum præsentem vel *penitus*, vel quoad *principalem* & *eminentem* aliquam circumstantiam tollit, ut iterum illa *prævia* alteratio cum *salutari* eventu morbi minime conciliari possit, quare *fortuita*, i. e. *inopinata*, tamen *grata* sanatio hæc morbi cura vocatur: unde communiter Sanationem *Fortuitam* aliquid, ita dicti, *miraculosi* comitatur, ut medici tales casus cum *admiratione* annotare necesse habeant, eo magis, dum interdum *tales* causæ ad *hanc sanationem* contribuerunt, quæ rectius *morbis provocandis* & *exacerbandis* alias inserviunt & quæ in hisce casibus plane *contrarium* effectum post se reliquerunt: ast hoc loco mox *divinas* rerum humanarum directiones ab hac præsenti Sanatione Fortuita distinguimus, probe conscii, quomodo illi *divini* & occulti influxus etiam *contrarias* & *nocivas* vires, in *salutarem* effectum & eventum vertere possint & soleant, quæ methodus tam in *spiritualibus*, quam *naturalibus* inclaruit, juxta illud Apostoli *Rom. 8. v. 28. scimus quod iis, qui diligunt DEum, in omni re auxilietur DEUS eis ad bonum. Ebr. 12. v. 11. omnis castigatio in præsens quidem non videtur esse gaudii, sed tristitiæ: ast postea fructum tranquillum justitiæ reddit, iis qui per eam fuerint exercitati:* subinde etiam firmiter credimus, quod nonnunquam benignissimus DEUS ex *specialissima* gratia *imperitas* & nocivas medicationes aut *pernicioforum* medicaminum oblationes ita dirigat, quo *minus damnum* causari possint, sed in *salubritatem* ægrotantis cedere debeant: & secundum hos respectus *salutaris* effectus sanationis ita dictæ Fortuitæ est *probandus: improbationem* tamen eximiam meretur *illa Sanatio Fortuita*, quando *salutares* tales directiones, non *DEO*, sed *alteri* occultæ causæ imputantur.

tantur & quando *imperiti* aut temerarii medici & medicastri ex cæca fiducia, in hanc *occultam* causam posita, illos causos, *rationi* & *experientiæ* contrarios suscipiunt, aut quando alii *DEum* velut *tentant*, sibi persvadentes, quod in *omni casu pernicioſum* experimentum in bonum & *salutarem* eventum dirigere & convertere debeat, cum potius *impium* sit, DEO *modum* & *leges* præscribere velle; quare *ita susceptæ* Sanationes Fortuitæ *rationalem* Medicinam *dehonestant* & *cæcam Empiriam* promovent: de reliquo de omni *salutari eventu*; qui cum hac sanatione *cohæret* omnino *DEO* laudes decentes tribuendæ sunt, præcipue quidem, quod malum, *iniquum* & suspectum tentamen medici in tam *salubrem* eventum direxerit, omnemque *perniciem declinaverit*: est itaque *eventus* & *effectus* Sanationis Fortuitæ *accidentalis*, proinde hæc Sanatio *speciei* Sanationis per *Accidens* est, sed hisce *momentis* adhuc discreta, quod in Sanatione Fortuita plane *singulares* & sæpius *admirandæ* circumstantiæ coincidant, quod porro interdum *perniciosæ* causæ & *noxia* remedia salutarem effectum & eventum consequantur, quod denique ex *longe aliis*, *peregrinis* & pro *medici* intentione plane non quadrantibus & concurrentibus causis, *salutaris* & inopinatus *bonus* effectus proveniat: unde inclarescit *punctum differentiæ* Sanationes *Fortuitæ* a sanatione *per Accidens*.

§. III.

Antequam Sanationis Fortuitæ indolem paulo clarius & specialius explicemus, brevibus annotabimus *damna*, quæ ex *imitatione* hujus Sanationis in *rationalem Medicinam* redundant, deinde indicabimus simul illas *causas* quæ Sanationis Fortuitæ *notitiam* & specialem deductionem *aliquo modo* commendant, sed quæ *minime* illius *imitationem* approbant aut inculcant: *in genere* itaque hæc fortuita sanatio utplurimum a *vera*, *solida*, *sincera* & manifesta *ratione* penitus abludit; & tantum vel in *nudo* & *crudo* certorum experimentorum *indiscreto* usu acquiescit, vel circa *annotationem* certorum *inconsuetorum* effectuum horumque futuram *cæcam* applicationem

occu-

occupatur, ſed *imperita, ancipiti,* dubia & *temeraria* expectatione ſimilium eventuum, quales ante hac obſervati ſunt: inde etiam via panditur ad vanæ & *fœdæ Empiriæ* culturam, approbationem & *propagationem*: inde, porro contingit, ut animus a *rationali* inquiſitione, dijudicatione, conciliatione & applicatione, *rerum, cauſarum, reſpectuum* & circumſtantiarum ad *Medicinam* pertinentium, deducatur, ad *cæcam fiduciam* invitetur & in *confuſis* ſuſpectis & dubiis effectibus ſuſtentetur & diſtrahatur: proinde illud detrimenti accedit Medicinæ rationali, quod *veritas facti,* ſive obſervatio rerum *ſalubrium* & virium *medicamentoſarum* in ſubjectis, aut ſic dictis remediis licitis, honeſtis, *genuinis* & *fidis confundatur* cum effectibus *raris, inuſitatis ridiculis,* vanis, *ſuperſtitioſis craſſe* accidentalibus, *æquivocis* turbulentis, *ſuſpectis,* malefidis, interdum plane *impiis,* ex *credulitate* & profanatione authoritatis *divinæ* nonnunquam profluentibus, utplurimum *nocivis,* ſcientiæ & conſcientiæ repugnantibus, quandoque plane *inhoneſtis* & *iniquis,* hinc integritas & bona exiſtimatio ipſius *artis* medicæ non parum *offenditur,* ſeorſim vero ingenua indagatio rerum *ſalutarium* cum vanis *ſterilibus* conſiderationibus & remediorum commendationibus inquinatur, non minus etiam verus & *ſincerus finis* artis tam ſacræ, tam honeſtæ, tam neceſſariæ tamquè *ſalutiferæ* deſtruitur, impeditur & ſufflaminatur: præterea hæc ſanatio fortuita *Methodum* medendi, quæ *anima* totius *artis* Medicæ eſt, diruit, *turbat* & tollit: dum enim hæc methodus omnia ad *rationis* integræ ductum adminiſtrat, ita contra ſanatio *fortuita* citra ullum habitum reſpectum communiter cæca fiducia ſalutares effectus *expectat,* aut in *ambiguis* hæſitat, adeoq; nullius circumſtantiæ *veram* rationem reddere compos eſt: neque etiam attendit fortuita illa ſanatio rationem *ſubjecti* afflicti, conditionem, ſtatum, gradum, indolem, tempus, cauſam morbi, non obſervat *ordinem* & prudentem proceſſum *medendi,* ſed cæco *impetu dubia* experimenta adhibet, aut effectus *bonos* pro ſana admiratione proſequitur, neſcia unde, quomodo, quam ſecure & quo futuro

usu tales salutares effectus orti sint: subinde hæc sanatio fortuita supellectilem rerum medicarum, sive *Materiam* sic dictam *Medicam*, alias satis *confusam*, proptereaque magna cura, *attentione* & vigilantia emendandam, eo *magis confundit* ut *dubia*, incerta, sterilia, vana, ridicula & hujus furfuris alia experimenta, aliis *probis*, sinceris, *fidis* & probatis adminiculis *intermisceantur*, inde illud damnum emergit, ut, quemadmodum illa experimenta, quæ ad forum sanationis fortuitæ spectant, promiscue, confuse, raptim & audacter usurpantur, ita a credulis, præjudicantibus, impatientibus & præcipitibus hominibus, reliqua *approbata* secura & *utilia* auxilia & media simili *confuso modo* adhibeantur, salutifera sua vi destituantur, defraudentur & justa sua *existimatione* priventur, hinc temeraria & *sterilia* medicamentorum genera reliquis *præferuntur*, adeoque *rationalis* Medicina *contaminatur*, contemnitur, a malevolis & nasutulis rejicitur, variis calumniis offenditur, aut plane cum turpi & abominabili *Empiria confunditur*, sicque *DEus*, qui *author* est hujus *salutiferæ* & *rationalis* Medicinæ *dehonestatur*, proximi vero *salus* impeditur: unde facile liquet quam eximia & quam numerosa *damna* ex hac sanatione profluant, quorum plura recensere possemus, ni in hisce considerationibus præmissa nostra propositio pateat & ni occasio suppeditata sit, quo ulterius sine difficultate in hæc pericula inquirendi, via demonstrata sit.

§. IV.

Ex hisce præmissis demonstrationibus facile illa *oblocutio* ortum trahere potest, quod, si sanatio fortuita hujus conditionis est, eo *minus* tunc mereatur, quo *seorsim* explicetur, nam qui *iniquitatem* aliquam *committit* & qui alius illam *propalat*, videtur interdum una eademque pœna dignus esse, hinc consultius esse, quisquam judicare posset, quo talis *malefida* sanatio *supprimatur*, minus vero detegatur & indicetur: ast quamvis omnis iniquitas magis *abroganda* sit, tamen hoc nostro *proposito* idem nobis animus est, quo antea *veram* hujus sanationis

indo-

indolem significemus, deinde quo ab eadem sollicite *dehortemur* & denique quo omnes ac singuli, quotquot *scientiæ* & *conscientiæ* studeant, huic sincero monito obtemperent & ab ulla approbatione, *imitatione* aut propagatione hujus sanationis *abstineant:* ob id necessarium est, quo antea hoc *artis Medicæ carcinoma* detegamus & quid *damni* ac *periculi* afferat, indicemus, ut palam fiat, quo *majori* studio arti huic colendæ & sanationi illi *suspectæ fugiendæ* incumbere debeamus: quemadmodum enim commendatio *cautelarum* practicarum, in manuductione *practica* unum e *præstantissimis* negotiis est, dum post hac facilius, certius & *confidentius* ad salutarem & *sincerum* scopum pertingere licet, ita hoc loco *præsentem* tractationem *cautelis practicis* accensemus, ne hæc sanatio molles, *credulos*, incuriosos, *temerarios* & negligentes animos seducat, neve proinde *fama* artis medicæ *dehonestetur*: accedit & hoc, dum de hac sanatione fortuita hactenus aut per *fragmenta* aut per nudos casus & historias actum est, prædictæ vero animadversiones urgent, quo in *uno nexu* & conspectu hæc *malefida* & dubia sanatio demonstretur, quare hoc nostro themate & proposito pro *integritate* & *dignitate* artis medicæ militamus & augiæ stabulum quadantenus repurgare laboramus: subinde etiam indirecte ansam damus, quo *experimenta* medica cum *justo*, prudenti, *rationali* & sincero scrutinio perlustrentur & examinentur, ne in *vanis* & *ridiculis* tempus studium & vires consumamus atque perdamus, neve in experimentis *sinceris*, *honestis* & utilibus instituendis aberremus & ita toto cursu in fœdam *Empiriam* trahamur: & uti adhuc in foro Medico cum multo fructu *observationes* instituuntur, colliguntur, comparantur & *applicantur*, ita pro authoritate, utilitate & *sinceritate* artis medicæ militat, quo *falsa* & *periculosa* experimenta præscindantur: cognita enim *via falsi*, tanto facilius *viam veri* invenire licebit: & quando artem medicam varii ex *fortuitis phænomenis* & effectibus ortam esse sibi persvadent & tradunt, aut ab animalibus brutis inventam opinantur uti *Tertullianus lib. de pœnitent. in fin.* dicit: *multæ enim & irrationales*

animæ medicinas sibi divinitus attributas in tempore agnoscunt, consentientibus *Ambrosio*, *Origene*, *Basilio*, *Galeno*, *Aristotele*, *Aldrovando*, *Plinio*, *conf. Rejesius Camp. Elys. juc. qv. 3. p. 53. seqq.* (licet Platonicorum princeps *Marsilius Ficinus lib. 4. Epist.* & *Origenes* etiam *Homil. super Psalm. 37.* Adamum primum Medicum fuisse confiteantur secundum illam communem scientias & artes *derivandi* rationem) ita eo magis necessarium erit qualiacunque *inventa*, quæ ad *medicam* artem referuntur, rite administrare & applicare, ne illa quæ *brutorum sanitati* conservandæ & restituendæ quadrant, *promiscue* ad *medicam* artem referantur, neve eo ipso *ars medica* & *veterinaria* confundatur, uti quidem olim *Joh. Philip. ab Ingrassia* artis veterinariæ consensum cum Medicina monstrare laboravit *conf. Conringii introductio in artem medicam*, quæ singula præsentis tractationis *utilitatem* & *necessitatem* demonstrabunt.

§. V.

Quod *subjecta* attinet, in quibus *Sanationis Fortuitæ* successus unquam observatus fuit, tunc illa in *nonnullis* casibus deprehensa fuerunt, *durioris*, *insenbilioris* & magis *robustæ* naturæ fuisse, unde talia experimenta & suspecta tentamina *sine damno* consequente tolerarunt & subierunt, qualia dicuntur Menschen die etwas ausstehen können, inde innotuerunt illæ formulæ, hätte dieser Mensch nicht so eine gute Natur gehabt, so würde er die Cur nicht haben ausstehen können, & per modum admirationis der Mensch hätte eine harte Pferde Natur gehabt, sonst würde er solche Artzneyen und Curen nicht vertragen können: quare tales sanationes fortuitæ aliquoties occurrunt in *medicina pauperum*, inter *duriores opifices*, *ruricolas*, *nautas*, *salis coctores*, *metallicolas* & alterius vilioris conditionis homines, uti nuper *D. D. Præsidi* contigit casus in fabro lignario, qui gravi morbo *cholerico* correptus, magnam quantitatem seminis *Cataputiæ* ingessit, indeque vehementer sursum & deorsum purgatus fuit & postea convaluit: qualia semina quid in aliis *sanis* hominibus efficiant, docet commune probatissimorum medicorum suffragium: deinde observata fuere talia

lia ſubjecta in negotio ad *viam naturalem* ſive animalem ſpectante, integræ *ſimplicitati* adſveta, dum partim *naturæ* horum ſubjectorum minime cum *frequenti medicamentorum* uſu alteratæ & debilitatæ, neque partim per alias cauſas ad diverſas *ataxias motuum* & effectuum, œconomiam *vitalem* conſtituentium, ſeductæ & turbatæ fuerunt, ut ita illa media, quæ ad ſanationem fortuitam contribuerunt, non alios *anomalos* aut extreme pernicioſos motus ac effectus tam prompte convocaverint, ſed *ſimpliciori* ratione natura talem oblatum ſtimulum ad *ſalutarem* effectum applicaverit; vti contra animi *intranquilli*, turbulenti, *confuſi*, in *exceſſum* proni, *immoderati* & impatientes facilius etiam *leviſſimam* irritationem ad maxime *pernicioſas evagationes* & commotiones applicant: propterea vero minime exinde *regula* formanda erit, quaſi in ejusmodi ſubjectis ſine *ullo præjudicio* aut aliqua difficultate hanc ſanationem fortuitam *ſecure* & *velut* artificioſe exercere liceat, cum de hac ſanatione tenendum ſit, quod conſtanter *pericula* plena, *dubia* & æque facile ad *ſiniſtrum* & pernicioſum ac *ſalutarem* eventum proclivis ſit, quod porro *ſalubres* illi effectus, quales ex ſanatione fortuita obſervati ſunt, *raro* eveniant, quippe quæ illa *qualitas* eſt *fortuitorum* effectuum & eventuum, neque unquam *prudens* artifex huic ſanationi fortuitæ *confidere* & ſe concredere poteſt, ſibi perſvadens, quia *ſemel* tale experimentum *ſine damno* ſucceſſit, ita fore, ut *ſæpius ſimilis* ſalutaris effectus & eventus impetretur; quæ *cæca fiducia* utplurimum *peſſimarum* conſecutionum cauſa evadit: quare tantum commemoramus, qualia *unquam* ſubjecta illa deprehenſa fuerint, in quibus ſanatio *fortuita* contigit, ut exinde ad indagandas *naturales cauſas* manuducamur, quo cognoſcere queamus, *cur* talis ſanatio non *pernicioſum*, ſed *ſalubrem* eventum attigerit: in *nonnullis* etiam caſibus hæc ſanatio ſucceſſit in ſubjectis *mollioris* & *ſenſibilioris* animi, in quibus præcipue *vis imaginationis* admodum præceps firma & *activa* eſt, ut ad *ſalutarem* effectum magis *Imaginatio*, quam oblatum quoddam *medicamentum* contribuerit,

buerit, ubi interdum sine difficultate deprehendentur remedia adhibita fuisse *vana*, sterilia, ludicra, *superstitiosa* & ridicula, quæ tamen ad *activitatem* & inquietatem Imaginationis operationem contribuerunt: hinc prudentes facile agnoscunt, quod impetratus *salutaris* effectus a longe *alia* causa, quam applicato *remedio* pendeat: de qua consideratione etiam conciliari poterunt *Disputationes D. D. Præsidis de Valetudinariis Imaginariis & de Therapia Imaginaria.*

§. VI.

Brevibus nunc aliquas *circumstantias* enarrabimus, quæ ad *Historiam* Sanationis Fortuitæ quadrant, ubi ex præmissis facile liquebit, quod in hac sanatione *nulla methodus* observetur, deinde quod utplurimum ille *effectus*, qui ad hanc sanationem *proprie* spectat, antea non *intendatur*, sed *præter omnem spem* & intentionem aut opinionem *interdum* obtineatur & quod denique ex *plane aliis* causis *adventitiis* hic salutaris effectus proveniat: antecedit itaque hanc sanationem communiter status morbi *intricatus* aut interdum *periculosus*, qui hactenus vel *nullis aliis* adhibitis remediis obtemperavit, vel *sponte* non *mitiorem* indolem assumsit, ut interdum *creduli*, dubii aut *superstitiosi* artifices ad *inexperta* & ludicra experimenta confugiant & ab illis sub *spe metu* & *dubitatione* aliqualem *proficuum* effectum expectent, aut ad minimum optent, inde innotuerunt illæ exclamationes vielleicht schlägt dieses medicament an: de qua animadversione conferatur disputatio *D. D. Præsidis de officio Medici circa adiaphora:* interdum vero *indiscretim* in alio *mitiori* alicujus morbi statu & gradu eiusmodi *lepida*, incongrua & vana experimenta instituuntur, quæ neque *causæ* morbi, neque *indoli* illius quadrant, sed per modum alicujus *tentaminis* adhibentur: proinde interdum dubia talia experimenta ad longe *alium effectum* & scopum diriguntur, quæ tamen *præter* omnem *opinionem* ad longe *majorem* & *meliorem* effectum occasionem præbuerunt, ut ipse medicus aut medicaster talem inopinatum effectum *admirari* necesse habeat, licet de *salutari* eventu omnino gaudeat:

deat: interea hic *inopinatus* effectus ad minimum *tacite* malis & imperitis ejusmodi medicis ruborem incutit, quod citra noxam alea ita ceciderit: qui ipsi subinde ex ejusmodi casibus in *majorem audaciam* & imprudentiam medicam rapiuntur: utplurimum porro *authorem* hujus sanationis aut *dubitatio*, aut *metus*, aut *temeritas* detinet, quo minus *securum*, minime vero *certum* effectum *salutarem* de commendato & adhibito experimento promittere possit: *successus* sanationis communiter non est *langvidus*, sed *expeditus*, neque *debilis*, sed *efficax* & validus, imo interdum plane *vehemens* & *simultaneus* & hac ipsa acerbitate *ominosus* & periculosus: *effectus* hujus sanationis consistit utplurimum in aliqua *evacuationis* specie, quæ communiter iterum *non parca*, sed *copiosa* & nonnunquam *prodiga* est: quandoque consistit in *motuum* morbosorum cohibitione & oppressione, sed hæ ipsæ sive *excretiones* sive motuum *alterationes*, licet quandoque non *primario* & proximé *causa* morbifica, sed *alia* plane *innocenti* materia occupentur, tamen *secundario* & in consortio *illam cum hac* educunt aut alterant & ita *relative* cum motibus procedunt, dum per provocationem *aliorum* graduum in *motuum* œconomia, reliqui *morbosi* motus *immutantur*, adeoque hic *morbidus* gradus *præscinditur* & velut extinguitur: aliquando evenit, ut *periculosa* quædam accidentia, quæ a nullo *proposito* & scopo *medico* derivari possunt, *salutarem* tamen effectum habeant, quæ ipsa etiam *inopinato* obtigerunt & tamen sub molesto & ominoso suo accessu & *decursu* nullum *noxium*, sed *salutarem* eventum obtinuerunt, qui cum tali casu & accidenti haud facile, neque etiam semper conciliari potest, ni quædam rationes e *consecutionibus* inclarescere videantur: & talem sanationem *fortuito* contigisse, varii enunciant, quod *fortuitum* vero in *plurimis* casibus, vel patrocinium *erroris*, vel *asylum ignorantiæ* evadit.

§. VII.

Perinde in Sanatione Fortuita vel *præcurrunt* vel *inter-*

currunt eximii gradus *animi pathematum*, quæ effectum illum *ſalubrem* plane *extra ordinem* adjuvant; & ſicut hi *pathetici* motus *utplurimum* in œconomia *vitali* multas *turbas* excitant, ita in hoc nexu atque proceſſu, quaſi *contrarium* effectum edere videntur, de qua conſideratione mox in conſequentibus plura indicare volumus: nonnunquam vero illi *effectus*, qui *proxime* ad ejusmodi *animi pathemata* pertinent, per aliquod *experimentum* aut tentamen ad *certos morbos* tollendos, applicantur, aſt nunquam *ſine metu* concurrentis & conſequentis *periculi*, per quam circumſtantiam hæ *fortuitæ* ſanationes *diſcernuntur* ab aliis curationibus, in quibus *ſecuriori* via mediante certo *imaginationis* gradu effectus *ſalutares* obtinere licet: porro effectus ille *ſalutaris*, qui ad ſanationem *fortuitam* ſpectat, communiter eſt *ſimultaneus* & non *abruptus*, ſucceſſivus aut per *intervalla* diſtinctus: unde denuo eluceſcit, quod hæc ſanationis ſpecies ob communem ſuum *repentinum* decurſum ſatis *ſontica*, intricata & *periculi* plena exiſtat: deinde multiplices caſus teſtantur, quam frequenter in hac ſanatione *animus* valde *operoſus* exiſtat, vel forti *deſiderio*, vel eximia *averſione*, vel tenaci *impreſſione*, vel alia *perſuaſione*; quæ occupationes mentis ſingulari & interdum *inſolita* ac *contraria* ratione cum *cauſis* morbificis combinantur & ad *ſalutares* eventus diriguntur: aliquando *effectus*, qui cum ſanatione fortuita *cohæret*, ita conſtitutus eſt, ut *univerſam* œconomiam *vitalem* graviter *commoveat*, ſub quo *confuſo* motu ſimul *cauſa* morbifica ex *accidenti* ſubjugatur, v. g. ſi patiens *pulmonum vomica* laborans, ex gravi *ebrietate* ad vehementem *vomitum* commovetur, ſub quo vomica illa *perrumpit*, excutitur & poſtea æger quaſi convaleſcit: aut ſi per pulmones *transfoſſus ebrius*, ex *extravaſatione* & coacervatione ſanguinis in pectore *ſuffocationi* ſubjicitur, aſt ob ſupervenientem *vomitum* ab hoc ſanguine liberatur & ad proximam *ſanationem* præparatur: ſi valde *arthriticus* juvenis ex oblato *phil-*

tro

ro & conjuncto vehementi *vomitu* liberationem ab arthriticis cruciatibus impetrat: quales casus, qui nobis constant, tantum *speciminis* & exempli loco proferre placuit: ita etiam interdum evenit, ut homines, qui *minori* incommodo hactenus afflicti fuere, aſt nunc in *majus* malum incidunt & in *vita periculo* constituti, tamen emergunt, deinde a *minori* præcedente malo liberati deprehendantur: unde aliquando *majus* incommodum, quod vero iterum evanescit, tollit *minus:* cujusmodi exempla constant, quomodo nonnunquam homines a *prævis* affectibus *hypochondriacis, asthmaticis, spasticis*, &c. per consecutam *Pestem*, febrem aliam *malignam*, aut periculosam continuam benignam, per *dysenteriam* simplicem aut Epidemicam liberati fuerint: exinde etiam liquet, quam eximiæ interdum & *periculosæ* alterationes in hoc sanationis fortuitæ successu & statu contingant, da es öffters auf Leben und Tod ankömmt, hinc *utplurimum* in hac classe hujus sanationis *desperati* casus obtingunt, quibus prudens & *peritus* artifex se concredere, *religioni* ducit: quare etiam *conscientiosi* medici curas tentatorias cum maxima prudentia explicare & admittere sciunt *conf. Seidelius de morbis incurabilibus: Valesius de acutis lib. 4. Zac. Lusit. introit. ad praxin præcept. 65. 66. Med. Princ. Hist. lib. 1. hist. 91. Sennertus, Bohnius, Dolæus, Wedelius, Ettmüllerus* & multi alii: denique ratione *eventus* circa sanationem fortuitam notare convenit, quod *interdum* tantum *simulatæ* sanitas consequatur, aliquando *præcedens* quidem morbus evanescat, sed *alius* superveniat, nonnunquam per *breve* temporis spatium morbus quidam *acquiescat*, ut curatus *videatur*, proxime tamen *alius* morbus excipiat: utplurimum ab ejusmodi *suspectis* sanationibus fortuitis *alia damna* remanent, de quibus in sequentibus Prognosticis hujus thematis explicationibus aliqua proponemus: communiter etiam multæ *ambiguitates* cum hac sanatione coinci-

 dunt,

dunt, ut facies & ſtatus rerum admodum *dubius*, intricatus & *confuſus* exiſtat.

§. VIII.

Sed ne in ſolis hiſce circumſtantiis recenſendis acquieſcamus, placet nonnulla *ſpecimina* & *teſtimonia Sanationum Fortuitarum* e multis producere, licet nullum ferme ſyſtema practicum occurrat, in quo non tales hiſtoriæ enarratæ proſtent, uti paſſim in *Rulandi curationibus Empiricis*, *Schenckii obſerv. medic. Cardani*, *Paracelſi*, *Helmontii*, *Scoti*, *Plinii*, *Levini Lemnii*, *Mizaldi*, &c. ſcriptis ejusmodi caſus, proponuntur: inter alia ſpecimina ſanationum fortuitarum illi caſus allegari merentur, quando *animi pathemata*, quæ alias ſatis facile multis *ſuſpectis* alterationibus inſerendis quadrant, *ſalutarium* effectuum & eventuum cauſam conſtituerunt, cujus phænomeni multa exempla a *D. D. Præſide* in *præfatione diſp. de therapia Imaginaria* allegata ſunt, quando contigit, ut cum tali pathetico motu *definientis* motus *vitales* reſtituti & *revocati* ſunt, qualis *alias* ad abolendos & *enervandos* motus vitales quadrat, quale exemplar commemoratur a *Valeriola* de *Paralyſi per terrorem curata*, *lib. 2. obſ. 4.* de qua re conferatur *Illuſtris Stahlii Pathologia Medica*, ubi de *Defectibus motuum* vitalium tractat: *ſuperfluum* vero nobis videtur hoc loco *animi pathematum medicas* virtutes recenſere, id tantum ſuffecerit indicaſſe, quod *plurimi* ſalubres effectus ex *patheticis* commotionibus provenientes, *fortuitis* ſanationibus adſcribi mereantur: & uti *vulgo* talia pathemata animi diverſis morborum ſpeciebus admodum *infenſa* ſunt, ita in hac curatione *fortuita* eadem illis morbis utilia & *ſalutaria* fuiſſe obſervantur, cujusmodi exemplum profert *Bartholinus de Ira Podagricis utili Cent. 6. hiſt. 28.* *Salmuthus de Terrore Medicina arthritidis Cent. 1. obſ. 48.* & quot non inter medicos occurrunt teſtimonia de *febribus intermittentibus terrore curatis*, quales alias etiam *facile* per terrorem *provocantur conf. A. N. C. dec. 1. an. 2. obſ.*

150.

150. *dec. 2. an. 3. obſ. 93.* ita *Epilepſia*, quæ non raro *terrore provocatur*, terrore etiam *profligata* commemoratur a *Bartholino Cent. 3. hiſt. 41. Bierlingio adverſ. curioſ. 13.* quare *Rolfincius de terrore ord. & meth. med. ſpec. lib. 24. ſect. 3. c. 12.* dicit: *non raro medici vice fungitur terror & quod illius ſuperat captum, hujus ſequitur raptum:* inde provenit ſanatio *fortuita:* præter *craſſa* talia animi pathemata, quæ interdum *fortuito ſalutarem* effectum poſt ſe relinquunt, occurrunt etiam *intimiores* & magis *occultæ* animæ operationes, quæ tamen *ſatis efficaces* & *activæ* ſunt, quales *mediante imaginatione* adminiſtrantur, per quam magnus numerus ſanationis fortuitæ promovetur & invitatur, dum ſibi patientes magis effectum *ſalubrem perſuadent*, quam ab *oblato remedio* & genuina illius efficacia obtinent: hujus indolis eſt illa cura *Tertianæ* cujus mentio occurrit in *A. N. C. dec. 1. an. 3. obſ. 200.* cum *lardo intra pedum digitos* dimiſſo & per *noctem geſtato:* cujus experimenti *contrarius* effectus allegatur *obſ. 244.* huc pertinet ille caſus de *ceſſatione febris* ab *ingeſtione formulæ in ſchedula conſcriptæ* una cum adhærente pulvere illo, quem nominant Streu-Sand, qui caſus allegatur *dec. 1. an. 3. obſ. 92.* quo ſpectat ſuffragium *Solenandri ſect. 5. conſ. 15. §. 17.* idem ſentiendum eſſe judicamus de uſu *ſanguinis humani* adverſus *Hæmorrhagias* & *Epilepſiam*, de quo inter obſervatores eximii occurrunt *diſſenſus*, dum aliqui allegare ſciunt *ſalubres* effectus ex ſanguinis humani uſu ortos, alii ad *contrarium* provocare non paucis, ſed ſane multis exemplis inſtructi fuerunt, quam rem tribus tantum verbis producere placuit; interim experientia docebit, quomodo in *plurimis* caſibus, ubi hujus *ſanguinis* uſus utilis deprehenſus fuit, *fortuita* innotuerit ſanatio: & quid dicamus de curationibus *intermittentium* per *immiſſionem ægrotantis in aquam frigidam* ſecundum caſum *A. N. C. dec. 1. an. 3. obſ. 211.* aut *tertianæ per potum frigidum dec. 2. an. 5. obſ. 32.* quæ non aliæ quam *fortuitæ* ſunt, cum in *multiplici* ob-

ſervatione expertum & manifeſtum ſit, quomodo cum talibus alibi commiſſis *erroribus* ejusmodi febres *provocatæ* fuerint: ſic *tertiana vomitu ex nauſea curata*, qualis deſcribitur in *A. N. C. Cent. 1. obſ. 36.* fortuitæ ſanationis exempla auget: ſic varia ſpecimina conſtant de ſubjectis *acute* & *periculoſe* febricitantibus quæ vel ſub deliriis, vel alibi clanculum ſub eximio appetitu largam quantitatem *frigidæ* aquæ hauſerunt, indeque proxime ad *priſtinam ſanitatem* redierunt & iterum non alio quam *fortuito* eventu, cum contra viciſſim alia exempla conſtent, quomodo *frigidus* potus in talibus febribus *mortem* procuraverit & acceleraverit.

§. IX.

Et quemadmodum modo e multis ſpeciminibus pauca allegavimus, quæ ſanationem fortuitam teſtantur, ita adhuc aliqua in medium proferre lubet: allegat *Timæus a Guldenklee* ſpecimen ſanationis fortuitæ in dentitione *lib. 6. caſ. 10.* cum ſanguine ex criſta galli calide exſtillante inſtitutæ; porro ejusmodi caſus recenſentur a *Caſp. Rejeſio. Camp. Elyſ. juc. qv. 17. n. 12. 13. p. 190.* qui etiam hoc loco provocat ad teſtimonia ab *Amato Luſitano, Benivenio, Valeriola, Marc. Donato, Greg. Horſtio, Schenckio & Seneca* prolata, *conf. Rejes. l. c. qu. 71. n. 11. p. 951.* ubi quæſtionem proponit, cur *quartanarii ex pravorum eduliorum uſu liberentur:* hiſce exemplis annumeramus caſus de *hydropicorum cura per multam potulentorum ingurgitationem Panarolus Pent. 2. obſ. 24. Pechlinus I. obſ. 63. Schenckius obſ. p. 437. Dodonæus obſ. p. 117. de aſciticis curatis per fortuitam abdominis perforationem Marc. Donatus 4. c. 22. Ronſetus de Part. cæſ. p. 44. Rhodius cent. 3. obſ. 12. de vertigine chronica per hæmorrhagiam ex lapſu de ſcala provocatam, orta, Fr. Loſſius I. obſ. 8.* de *muto loquela reſtituta Barthol. Act. Haffn. Vol. I. c. 21. de ira cauſa reſtituti caloris naturalis Mœbius inſtit. 4. p. 2. c. 8. de phrenitico ab imprudenti olei potu indeque ſuborto alvi fluxu & per præcipitium ab alto in fluentem reſtituto Panarolus I. obſ.*

40.

40. *Paræus introduct. ad chir. c. 23. conf. Bohnius de offic. med. dupl. part. I. c. 2. p. 22. seq.* huc porro pertinent casus de *quartana ventriculo suillo curata. A. N. C. dec. 2. an. 5. obs. 50. in app. ab halece curata. ib. obs. 21. matrimonio sanata dec. 3. an. 1. obs. 137. saltatione curata. ib. an. 3. obs. 100. larga uvarum assumptione curata. ib. an. 4. obs. 66. de tertiana scarificatione in paroxysmo curata. dec. 2. n. 6. obs. 228. de febre maligna salivatione soluta. dec. 3. an. 6. obs. 127. de Hydrope uteri casu curato. ib. obs. 57. de Hæmorrhagia uteri purgante curata dec. 2. an. 9. obs. 126. de membro virili mariti demortui a vidua conjuge adversus hystericum malum proficuo dec. 2. an. 6. obs. 2. app. de ictero auripigmento curato dec. 3. an. 6. obs. 137.* de *piso germinante e corpore per aquam fortem loco aquæ Cerasi nig. assumptam, eliminato dec. 2. an. 2. obs. 135. de salutari usu mercurii sublimati imprudenter intra oculum inspersi ib. an. 3. obs. 133.; de Jaspide antinephritico extrinsecus gestato. 16. obs. 2. conf. ib.* observatio cui titulus *errores in medicina quandoque salutares obs. 216.* quo spectant similes gemmarum commendationes, quæ licet usu topico raro suis encomiis respondeant, quando vero aliquando quicquam salubritatis causantur, tunc casum constituunt qui sanationi fortuitæ annumerandus est: huc referenda est cura *hydropis cum silicibus candentibus*, quam proponit *Blegny Zodiaco Gallic. an. 2. fol. 10.* & quæ allegatur in *Scholio observ. 180. dec. 2. an. 1. A. N. C.*: pertinet huc ridicula illa liberatio a vomica pulmonum *Erasmi Roterodami* ex *lectura Epistolarum obscurorum virorum;* conferatur Historia illa, quam *B. Bohnius de offic. Med. dupl. Part. 1. c. 2. p. 25. ex Bernier Essais de Medecine part. 2. c. 15.* enarrat, *medici hispani intempestive glorioſi & fortuitam infirmi sui convalescentiam sibi suæque peritiæ inconsiderate adscribentis, hic super mulam equitando subintrarat ædes, ubi desperatissima & suffocationem minitante pectoris vomica quis decumbebat, jumento descendens hoc in aula, prope ægrotantis cameram, more sibi consueto alligat, eum mox visurus: dum ex improviso ad alium agonizantem in altiorem domus partem evocatur, quem primo visitat: asina interim laxius justo firmata habenam & vin-*

cula

cula rumpit ac hinc inde decurrens cubile suppurati irruit, in hoc strepitus non exiles parat, lectulum miseri appropinquat & quem inibi observat, naribus & ore suo inhalat & eo usque lacessit ac angit, donec hic ex torpore & languore graviore excitatus & a conspectu bestiæ inopinæ consternatus valde, avertere pro viribus conatur blanditias illius sibi suspectas: quales angores & motus a conatibus naturæ adjuti abscessum ægrum pariter ac medicum latentem rumpunt & ejus saniem ad ultimum usque spiritum hactenus opprimentem ἄνω καὶ κάτω exturbant: medicus ex superiore ædium parte descendens mulam in area relictam quærit & in camera dicti ægri præter opinionem invenit, nemine hominum animalis ingressum attendente: infirmum hinc intuetur, ejus pulsum explorat, quem robustiorem, simul tamen frequentiorem deprehendit, hominemque prognostico tantum non relictum revivisce re, obstupescit: infirmus vero medicum suæ medelæ & quod ultimo propinaverat remedio abblandiri, huicque sui convalescentiam arrogare animadvertens, cum ita alloquitur: Nec tu, Domine Doctor, nec pharmacum tuum, eam mihi præstiterunt, sed mula tua: cujus bestiæ vastioris & sagacioris intuitu cum exilior tantum mula mihi videaris, in posterum si forsan denuo me morbo corripi contigerit, non tuæ, sed asinæ hujus medelæ me committam: hactenus *B. Bohnii* verbis uti placuit.

§. X.

Similes historiæ, quæ satis *manifeste* sanationem fortuitam produnt, plures in observationibus medicis occurrunt, ita ut in nonnullarum commemoratione acquiescere possimus: hisce sanationibus fortuitis merito annumeramus curationes morborum, præcipue *febrium intermittentium* per *Arsenicum*, qualis observatio occurrit in *A. N. C. dec. 2. an. 3. obs. 46.* fusius magisque diserte hanc rem explicavit *Excellentissimus Stahlius in opusc. Phys. chym. med.* observatione peculiari, cui titulus *Anchiater sive venenum, pro remedio venditum febrifugum nequissimum p. 430. seqq.*; quam periculosum & *perniciosum* hoc sit tentamen cum arsenico morbos fugare, facile elucescit; interim *exempla* constant, quomodo nonnulla subjecta post arsenici usum *fortuito* ad *aliqualem* sanitatem redie-

redierit: & quis non ſenſu *vulgari* hanc ſortuitam appellaverit, ſanationem, quando quisquam ab uſu arſenici non modo *non interficitur*, ſed ab aliquo præcedente morbo *quadantenus liberatur:* ita reminiſcimur alicujus ſanationis fortuitæ, quam in *Eraſmi Franciſci* ſcriptis relatam deprehendimus, ubi aliquando Cardinalis quidam ex *angina in abſceſſum purulentum* mutata, *morti* proximior factus fuerat, ut adſtantes & conſanguinei de ipſius *vita* penitus *deſperarent*, quare ipſo adhuc vivo, ſed velut agonizante conſanguinei bona ipſius transportabant & *hæreditatem* adibant: id advertens ſimia, cum præter galerum purpureum ſive mitram cardinalitiam a pariete pendentem nihil relictum fuerit & cum conſpexerit quanta cura & alacritate reliqui homines ſupellectilem ægroti cardinalis tranſtulerint, ipſa cum moribundo ſola relicta, mitram illam arripuit, capiti ſuo impoſuit & vale Cardinali dixit, dehinc ab eodem, ut reliqui, diſcedens, cauſam dedit, quo Cardinalis in magnum *cachinnum* inciderit, ex quo *abſceſſus*, qui hactenus cum *periculo* vitæ *latuit* & per *artem aperiri* non potuit, *perrupit*, pus ſuum effudit & ad *conſequentem* Cardinalis ſanitatem *occaſionem* dedit: hæc fuit ſanatio *fortuita:* ſimilis hiſtoria recenſetur in *A. N. C. dec. 1. an. 2. obſ. 134. de tumore abdominis inveterato caſu ex alto fortuito feliciter curato:* plura talia exempla profert *Scholiaſtes D. Sachſius ex Rondeletio de cur. morb. c. 41. Marcell. Donato Hiſt. med. l. 2. c. 4. Camerario Memorab. Cent. 7. §. 4. Bartholino Cent. 1. hiſt. 74. Franc. Pona in ration. praxi & variis* aliis: inter alios caſus hunc jocoſum profert: *Paucis abhinc annis Palatinum quendam Poloniæ graviter morbo preſſum plurimos medicos ad conſilium hinc inde evocaſſe. Solent autem in Polonia medici utplurimum habitum quaſi Eccleſiaſticum portare & togati incedere: adituus quidam, (ne deeſſet huic comœdiæ ſubſecuturæ hiſtrio) cum videret tot togatos viros, a Religioſo, quem comitatus fuerat, inquirit, an tot viri eſſent perſonæ Eccleſiaſticæ? negat*

Religi-

Religioſus, ſed eſſe viros ſanitati præfectos, qui non ſolum ſint honorandi & opipare tractandi, ſed etiam finita conſultatione lauto ſtipendio remunerandi. Hæc verba adituum titillant, ut Saul inter Prophetas haberi velit: rogat religioſum ut mutuo data toga Medici perſonam fingere poſſit: annuit tandem religioſus, viſurus fabulæ cataſtrophem: altero die cum in præſentia ægroti medici ad inſtituendas deliberationes conveniret, medicus ille perſonatus una choro medicorum ſe immiſcet, qui putant hanc medicum ignotum demum acceſſiſſe: præmittunt conſultationi explorationem ſignorum, alias cuculus ſua voce ſtatim ſe prodidiſſet: urina inſpicienda dum a Principali usque ad hunc Pſeudo Medicum infimum tranſit, larvatus hic medicus non ſolum diu oculis & naſo, ſed ipſo ore urinam explorat, totam ſcilicet abſorbendo. Attoniti hærent Apollinis filii viſo hoc ſpectaculo, dum fictitius ille Midas Medicus auriculas aſini proderet & dum expoſcunt judicium de ſapore: nimis fæces dolii redolet hæc potio, exclamat. Ægrotus improviſo hoc facto & reſponſo excitatus tanto cachinno latera commovit, ut vomica rumperetur & periculum vitæ hoc jucundo caſu evitaret: unde & huic Thyrſigero, quamvis non vero Baccho parile cum reliquis Medicis Honorarium perſolvit: addit Scholiaſtes hoc Epiphonema: *Solent ergo non raro caſus inopinati feliciorem manum adhibere, quam remedia conſilio & experientia probatiſſima:* eodem loco recenſetur hiſtoria, quam refert *D. Melander. Tom. I. Joco. Ser. §. 285. dum videbat ægrotus herus, quo ſimia cani pediculos eximeret & ad impediendum fœtorem, ex poſterioribus canis effumandum, charta ea obturarat, in tam inſignem effuſus eſt riſum, ut vomica rumperetur:* & ita hactenus *multiplicia* teſtimonia & *ſpecimina Sanationis Fortuitæ* pro noſtra meliori notitia propoſuimus.

§. XI.

Poſteaquam hactenus illas conſiderationes, quæ ad Hiſtoriam Sanationis Fortuitæ pertinent, pervolvimus, pauca nunc adjiciemus, quæ ad *Prognoſin* præſentis animadverſionis & thematis ſpectant: in *genere* vero de hac

ſana-

ſanatione iterato indicamus, quod *utplurimum non fida*, certa, ſincera & conſtans, ſed *dubia*, anceps, infirma, *imperfecta* & inconſtans, tanto minus etiam *ſecura* & ingenua ſit, quoniam interdum ſub illa contingit, ut cum *majori* malo *minus* profligetur, ut illud cum hoc *uno comitatu* quadantenus evaneſcat: deinde hæc ſanatio aliquando *larvata* eſt, dum quidem *priſtinum* malum ceſſat, ſed loco illius *aliud* occupat, quando v. g. ex uſu arſenici contra intermittentem febrem oblati, febris quidem evaneſcit. ſed affectus ſpaſtici, cardialgici, flatulenti, hypochondriaci &c. conſequuntur: porro hæc ſanatio communiter *naturam* valde alterat, vires *debilitat* & reliquas *ordinarias* functiones turbat, ut interdum *conſecutiones deteriores* evadant, quam præcedentes affectus fuerant: aliquando hæc ſanatio, quæ cum affectu *curabili* contingit, *incurabilem* poſt ſe relinquit: interdum etiam illa præſentem *lethiferum* morbi eventum tantum ad *aliquod tempus retardat* & differt, quæ moræ minime *radicem* mali tollunt, neque *ſanationis veræ* prædicato aut titulo dignæ ſunt, quoniam vero *vulgo* talis *anceps ſalutaris* eventus *ſanationis* appellationem obtinuit, ita & illam hoc loco ſervavimus: præterea hæc ſanatio tanto magis in illis affectibus *ſuſpecta* & *periculoſa* eſt, qui alias *acutæ* indolis exiſtunt, velut in *febribus* acutis, catarrhis *acribus*, *ſpaſmis* immoderatis & *ſenſibilibus*, *congeſtionibus impetuoſis* & prægrandibus evacuationibus ſic dictis præternaturalibus & *immodicis*: proinde eadem ſanatio admodum ſuſpecta eſt in ſubjectis *debilibus*, quæ licet a *priſtino* morbo liberata videantur, tamen in *conſequentibus* calamitatibus eo citius & certius *ſuccumbunt*: quo magis a cauſis valde *ſuſpectis* hæc ſanatio provenit, eo magis ſuſpecta ſunt *conſectaria*: *utplurimum* e ſanatione fortuita oriuntur affectus *corrupti*, refractarii, *complicati* & hujus adverſæ ſortis alii,

hinc rariſſimum quid eſt, ſi *certa* & *conſtans* integritas hanc ſanationem ſequitur: *ætas* nimis *tenera* & nimis *confecta*, videlicet *infantilis* & *ſenilis* ad hanc curam ſubeundam præ reliquis admodum *inepta* eſt: quicquid ſecundum *vulgarem* ſenſum *fortuito* ſanatur, melioris notæ eſt, quam ſi artifex ſanationem fortuitam *imitari* laborat, quæ imitatio utplurimum cum *damno vitæ* & *ſanitatis* certiori & eminentiori ſuccedit, quare *nulla* ſanatio fortuita *firmam* quandam regulam *medico rationali* conſtituit: communiter hæc ſanatio evidentes *irregularitates* œconomiæ vitali plane *inſolitas* affert; *conſequuntur* itaque hanc ſanationem facilius morbi *chronici* & ſub *perverſo* ſchemate omnibus modis commiſeratione dignus vitæ *exitus*: quo magis ſanatio fortuita cum *impetuoſis* & *copioſis* evacuationibus ſuccedit, eo facilius *ſuſpectas* conſecutiones cauſatur, eximiam *virium imbecillitatem* affert, & reliquum *ordinem vitæ* turbat: ſanatio fortuita, quam *animi* & *virium* ad vitam ſpectantium *languor* ſequitur, *ſemper* eſt periculoſa & ſuſpecta: quando morbi *corrupti* fortuito ſanati videntur, ſemper *latet anguis in herba* & major ac *periculoſior* alia corruptio ſequitur: & quando talis ſanatio fortuita cum *ſimultanea* ordinariarum vel extraordinariarum evacuationum ſuppreſſione ſuccedit, communiter *brevi poſt* aliud *periculum* imminet: quando per hanc ſanationem *præſens* morbus *quaſi* extirpatus & profligatus *videtur*, interim ſtatus ſanitatis *non indies melioratur*, wann ſich ſolche Menſchen nicht wieder erholen und zu Kräften kommen können, *malum* eſt ſignum: quando hanc ſanationem fortuitam vitia *ſenſuum*, vertigo, aſthma, induratio abdominis, tuſſis ſicca, œdemata & ſtupor membrorum, protuberantia hypochondriorum, ſitis inſolita, ciborum averſio, ſomnus turbulentus, ſtatus cachecticus, animus abjectus & moroſus &c. ſequuntur, *pravum* eſt indicium:

&

& hæc *brevibus* quoad *Prognoſticam* hujus thematis explicationem monere & commendare placuit.

§. XII.

Tradita ſic Hiſtorica præſentis animadverſionis deductione, nunc in ordine pauca annectemus, quæ ad *cauſalem* reſpectum quadrant: qua occaſione monemus, ne ſanatio fortuita *confundatur* cum illis curationibus, quæ nonnunquam in *deſperatis* caſibus cum *rationali* deliberatione, conſilio, *propoſito* & arbitrio *artificis* inſtituuntur, ubi juxta *Celſi* monitum nonnulli in talibus caſibus malunt *anceps* experiri remedium, quam nullum, quod tamen remedii genus a *dictamine rationis* non abludit, ſed *circumſtantiis* illius caſus quadantenus convenit, v. g. quando in catarrho ſuffocativo, apoplexia ſeroſa, partu difficili, vomitus moderatus provocatur, quando in regurgitatione & eructatione ſanguinis intra ventriculum ſub defectu ſpontaneæ evomitionis, modeſtus vomitus excitatur, quo hic ſangvis extravaſatus mature evacuetur, ne proxime alia damna inferat, qualis hiſtoria allegatur, in *A. N. C. Dec. 3. an. 4. obſ. 102. conf. Diſp. Celeb. D. D. Stahlii de Motus Sangvinis a Craſi & viis non pendentibus vitiis, prudenter tractandis:* ejusdem conditionis eſt, ſi congrua methodo in *angina*, quæ in *ſuppurationem* tranſiit, *lenis vomitus* promovetur, quando abſceſſus ſponte non perrumpit, aut ſi interdum in *lethargo ſternutatorium* exhibetur, quo ſub *commotione capitis* aliqualis capitis ventilatio invitetur, imprimis ſi circumſtantiæ *congruæ* coincidunt: quo loco adhuc præoccupamus, ne curæ, quæ per *revulſionem* inſtituuntur, *promiſcue* cum ſanatione *fortuita* confundantur: etenim minime negamus, quod *aliquando revulſoriæ* illæ medicationes, *fortuitis* ſanationibus accenſendæ ſint, interea ſub *juſto moderamine* exercitæ illæ revulſiones ad *artificiales* medendi methodos referri & ab *empiricis* tentamini-

bus ſeparari debent: Interim adhuc de hac ſanatione fortuita notandum eſt, quod eximia *temeritas* in eadem *utplurimum* eluceſcat, adeoque hujus ſanationis *ſymbolum* ſit, quod *Virgilius X. Æneid. audentes fortunam adjuvare exprimit*, aut *Plinius Lib. 6. Epiſt. 16. fortes fortunam juvare* mollius & magis honeſto titulo ſignificat; hinc *Seneca Controverſ. Lib. 4.* dicit: *temerariis remediis graves morbi ſanantur: & lib. 6. de Benefic. c. 8. multos fortuita ſanant, nec ideo remedia ſanant*: propterea *Celſus Lib. 3. c. 9.* profitetur, *ubi ratio non juvat, temeritas adjuvat:* Et quantum quidem ex *nonnullis* ſanationis fortuitæ ſpeciminibus colligere licet, tunc eadem plurimum & primario *providentia divina* & benignitate naturæ nituntur, alias impetuoſus & *temerarius* illius ſanationis ſucceſſus longe citius ac certius *perniciem* provocaſſet: interea in tali ſanatione aliquando contingit, ut *natura* non modo *cum morbo*, ſed & cum *temerario artifice* pugnet, adeoque *una* activitate, quia ſemel provocata eſt, *morbi* cauſam & *medici* malum artificium, aut pernicioſum ſic dictum medicamen ſubjuget & *expellat*, quam *priorem* adhuc *aliquandiu* in corpore toleraſſet, ni *auſus* ille medicus, qui magis naturam *offendit*, ad *ſimultaneam* talem excuſſionem *occaſionem* dediſſit; interim *raro* tales *temerarii* conatus & pruritus *proſpere* ſuccedunt, cum non ſemper illius *continentiæ* & moderatæ qualitatis *natura* eſſe deprehendatur, quæ communiter tam *inique* offenſa cum aliquo *præjudicioſo* fervore ac *impetu* reſiſtit.

§. XIII.

Præterea illi *effectus*, qui ad ſanationem fortuitam diſponunt, nonnuquam *craſſo* modo naturæ *ſenſum* in *œconomia vitali* offendunt, ut, quamvis adhibitum *experimentum* nihil quicquam communicationis *directæ* habeat cum *effectu* & *eventu* ſalutari, tamen illud naturam *eminus* ad talem effectum *alliciat*, quæ ſi nunc corporis ſui *af-*

flicti

ſiſti curam ſanationem *remotiori* quodam *approbatu* proſequitur, in *ultima* vero executione *ambigit* & hæſitat, tandem tali *irritamento* adhibito, ad eundem effectum *propoſitum* invitatur: cujus proceſſus *analogia* non raro in *morabilibus* negotiis occurrit, ubi quidam homines circa *certum* propoſitum *tacite* verſantur & de illius executione *deliberant*, interim adhuc *titubant* & ambigunt, donec qualiscunque alia & *aliena* cauſa interdum intercurrit, quæ *prioris* propoſiti profecutionem & *executionem allicit*, ut anima non tam *cauſæ* irritantis, quam *principalis* cauſæ cum propoſito *connexæ* profligationem concernat: idem contingit in œconomia *vitali*, ubi interdum *primario* natura cauſæ *morbificæ* expugnationem intendit & attendit, quæ hactenus illam majori offenſione & *ſollicitudine* detinuit; *ſecundario* tamen pro *reliqui irritamenti* remotione *operoſa* eſſe deprehenditur: quodſi etiam contigerit, ut hactenus in œconomia vitali *inſoliti* motuum gradus exerciti fuerint, tunc etiam viciſſim evenit ut interdum *alii* motuum, ſenſuum & effectuum *gradus*, ſucceſſus & modi provocati, *priorum* motuum *oblivionem* invitent, ſicut talis *paralleliſmus* iterum in *moralibus* obtingit, ubi *poſterior* quædam occupatio, *præcedentium* functionum *oblivioſam* omiſſionem aliquando poſt ſe trahit: quales caſus occurrunt in *nonnullarum febrium* & quorundam *ſpaſmorum* ſanationibus fortuitis: perinde evenit, ut animi motus *patheticus repente* provocatus aliquando cauſetur *præcedentium* actionum *intermiſſionem*, ut fortuito effectus & *communicatio* in illas actiones transferatur; nonnunquam *generica* quædam corporis *alteratio*, *præſentem morbificam* afflictionem *ſeorſim* attingit, illam commovet, & ad *ultimam* profligationem diſponit; quando v. g. evenit, ut infans diu cum vermibus afflictus, poſt deglutitam aciculam magnam dejectionem alvinam experitur, cum

qua-

qua vermes expelluntur & infans ſanatur; aut quando deliteſcens *abſceſſus* in pulmonibus vel pectore ob *cachinnum* perrumpit & evacuatur: præterea notandum eſt, quod hæc ſanatio *multum* nitatur *motuum* alteratione, quando vel *auctis excretionibus*, vel motuum *retentionibus* cauſa *morbifica* quadantenus ſubjugatur: interim etiam ſciendum eſt, quod in hac ſanatione *fortuita*, neque *materia* neque *motus*, morbum quendam invitans, ſemper *eo usque* aut tam *congrue* mutetur, ut *ſincera* & *conſtans* ſanitas conſequatur, nam hæc ſanatio *utplurimum præcipitata* & *corrupta* eſt, propterea utplurimum *alia* imo quandoque *graviora* incommoda conſequuntur: ſubinde notatu digna eſt illa circumſtantia, quod in hac ſanatione adeo *varians* & *inconſtans* deprehendatur natura humana, dum interdum tales cauſæ *fortuito*, ut ajunt, ad morbum *profligandum* applicantur & diriguntur, quales alias ad eundem *invitandum* contribuunt, quale quid accidit, quando cum *tali medio* febris tertiana, paralyſis, aut Epilepſia *tollitur*, cum quo antehac *talis* affectus *provocatus* fuit, uti in præcedentibus ſimilium caſuum mentionem fecimus: ita etiam quandoque *generales* quædam commotiones, quæ *univerſam* corporis œconomiam concernunt, ad *ſpeciales* effectus applicantur, v. g. quando iracundia improviſa calculoſos a calculo hactenus detento liberat; quid vero *phantaſia* ad hujus ſanationis ſucceſſum contribuat, non latius hoc loco commemorabimus, cum partim in præcedentibus ad hanc conſiderationem provocaverimus, partim alibi hæc animadverſio a *D. D. Præſide* fuſius explicata ſit: aliquando natura effectum *ſalutarem*, corporis integritati quadrantem, adeo *firmiter* cum aliquo *affectu* aut *appetitu* connectit, ut, niſi ille *ſatiatus* fuerit, hic etiam non conſequatur, qualis caſus contingit, quando febres intermittentes aut acutæ poſt ingeſtio

ſtionem certæ ſpeciei cibi aut potus ſolvuntur, quæ antea cum eximio *appetitu* deſiderata fuit: quales *analogia* indies in *moralibus* negotiis occurrit, quando nonnulli homines certas operationes cum aliis & quandoque plane incongruis deſideriis conjungunt, quibus poſterioribus non *impletis*, priores etiam *ægrius* ſuccedunt: Et hæc *brevi* manuductione ſatisfacere poterunt, quod ad propoſitam *aliqualem cauſalem* præſentis thematis diſquiſitionem, quam hoc ordine ſecundum naturales reſpectus deducere placuit, cum probe ſciamus & inculcemus, quod & in ſanatione fortuita *divina* providentia *nullo* modo *excludi* debeat, quæ tamen in ordine *cauſarum* non cum *noſtra* animadverſione *confundenda* eſt.

§. XIV.

Pauca adhuc circa exitum hujus tractationis, quoad *Practicam* illius applicationem addere & monere lubet, propterea iterata vice inculcamus, quod *prudens* artifex in reliquo medicinæ *rationalis* exercitio minime hanc ſanationem fortuitam *imitari*, neque in eadem *acquieſcere* & *ſecurus* eſſe debeat, ſed invigilet potius, ne hæc ſanatio *contrarias* conſecutiones inferat; quare poſt illam *aliæ* medicationes corpus & vires nimium *offendentes*, *potentius* operantes & *magnas* evacuationes afferentes ſollicite *evitentur*, interim attente obſervare convenit, an *ordinariæ* excretiones rite continuent, quæ poſt illam ſanationem *deficere* haud debent: adhibeantur itaque, *neceſſitate* urgente, *leniora* adminicula illas *evacuationes* liberantia & *facilitantia:* poſt hanc fortuitam curationem non ordinentur *narcotica* & *adſtringentia*, quæ præſentem *intricatum* ſtatum eo gravius & certius *confundunt* & *corrumpunt*, ſed potius uſurpentur auxilia, quæ *virium* reparationi & *conſervationi* quadrant, ne ullo modo natura *delinquat* & poſt ominoſam illam ſanationem miſere

ſuccumbat: conferunt ſubinde poſt hanc ſanationem *diætetica roborantia* adminicula, ut & alia conſilia & auxilia, quæ *animi alacritatem* promovent, quoniam communiter ſub hac fortuita medela inſignes animi *alterationes* coincidunt, quare magno ſtudio cavendum eſt, ne *patheticæ* commotiones, quæ ſub eadem ſanatione contigerunt, *ſiniſtrum* effectum poſt ſe relinquant: ob eandem rationem & conſiderationem præſtat, poſt talem ſanationem fortuitam ordinare remedia *temperantia* & lenientia, quæ qualescunque motuum turbas mitigant & emendant: neque tamen proficit *multum* remediorum uſum aut frequentem illorum *mutationem* poſt illam ſanationem ſuſcipere, ſed potius in *paucis* & illis quidem *convenientibus* acquieſcere: cuicunque porro hæc ſanatio ſuſpecta videtur, ille minime poſt hanc arduam & *impetuoſam* medendi methodum, ſed *temperatam* aggredi debet, ni citiori funeſto eventu morbus decurrere teneatur: maxima vero cautela opus eſt, quando hæc ſanatio cum *ſimultanea motuum* oppreſſione, alteratione & *retentione* aut *evacuationum* cohibitione repentina ſucceſſit: quando ſanatio fortuita cum comeſtione cibi *craſſioris* ardente appetitu deſiderati cohæret, tunc cura habenda eſt, ne ſuſpecta *adſtrictio alvi* conſequatur, quare remedia *digerentia*, abſtergentia & *mitius laxantia* ſubjungenda ſunt, deinde temperata *ſtomachica* exhibere convenit: poſt fortuitam ſanationem ſervanda eſt *quies animi*, vitari vero debet nimia *deſidia*; hinc rectius moderata corporis exercitatio pro circumſtantiarum indole & neceſſitate conjungatur: proſpiciat etiam prudens artifex, ne ſanatio fortuita *perſonali* temperamento ægrotantis vim inferat, quod fieri poteſt & ſolet, quando ejusmodi ſuſpecta curatio, cum *nimia alteratione* corporis ſucceſſit; inde contingit ut *laxum* temperamentum in *ſtrictum* mutetur & ex hac *inverſione* varia *prava* conſectaria emergant, licet præcedens mor-

morbus annihilatus *videatur:* quando ſanatio fortuita ex uſu *acrium corroſivorum* & ſic dictorum *venenoſorum* ſubjectorum ortum traxit, tunc ſubordinanda ſunt remedia *diluentia, lenientia*, gelatinoſa & modeſte *roborantia:* poſt ſanationem fortuitam *accurata* vivendi ratio, conveniens videlicet *rerum non naturalium* uſus multum juvat, ne periculoſa quædam pathemata conſequantur: quando a cauſa *violenta* hæc curatio dependet, tunc *interna temperantia* & diſcutientia, nec non *roborantia*, *externa* vero *reſolventia*, diſcutientia, *nervina*, *ſecure* adſtringentia & defenſiva conveniunt: quæcunque ſubjecta *unquam fortuita* tali ratione ſanata, ante hac cum *ſpecialibus* quibusdam excretionibus ſive *ſangvineis* ſive *ſeroſis*, maxime quidem periodicis obnoxia fuere, utpote *menſibus*, *hæmorrhoidibus*, *ſudoribus* & *diarrhoeis ſalutaribus*, in illis prudens artifex providere debet, ne tales evacuationes *ſupprimantur* aut perturbentur, alias in peſſima morborum ſchemata *conſequentia* conjiciuntur: & hæc placuit brevibus, quoad *practicam* hujus thematis animadverſionem monere: ne vero *limites* propoſiti noſtri transgrediamur, hic pedem figimus & DEO benigniſſimo pro adjutorio ſuo ad hunc laborem exorato & neceſſario devotiſſimas reddimus gratias, inſuperque humillime precamur, quo *ſalutiferam* medicam artem, cujus ipſe ſapientiſſimus DEUS *author* eſt, ab omni *fallaci* experimento & iniquo uſu repurgare, viciſſim vero *rationalem* & *ſalutarem* medendi methodum benedictione ſua proſequi velit, quo & præſens noſter labor & reliqui alii ſinceri conatus in foro Medico gloriam ipſius altiſſimi Archiatri & rerum humanarum moderatoris ac directoris nec non ſalubritatem proximi efficaciſſime & certiſſime promoveant atque amplificent.

GAUDENT SUDORIBUS ARTES!

OBzwar Gelehrsamkeit/ durch unaufhörlich schwitzen/
Stets will erlanget seyn;
Indem man insgemein/
Mit übergrossen Fleiß/ muß bey den Büchern sitzen/
So wird doch dieses offt/ gar gerne übernommen/
Dieweil man kan dadurch/ zu grossen Ehren kommen.
Dis hat **mein wehrter Freund! Herr Rödder** auch bewiesen/
Da Er ja spat und früh
Geschonet keiner Müh;
Drum wird Er billig nun als Doctor schon gepriesen.
JEHOVAH seegne Ihn noch mehr als schon geschehen.
So werden wir von Ihm erwünschte Curen sehen.

Aus schuldigster Observance setzte dieses hinzu
JUSTUS HEINR. LEO,
Micro Barckel-Hannov. SS. Th. C.

DA itzt **geehrter Freund** dein Ehren-Tag anbricht
Der die gehabte Last und Arbeit wird versüssen
So fordert freylich auch von mir der Freundschaffts-Pflicht
Dabey in einem Reim des Hertzens Wunsch zu schiessen/
GOtt gebe dir demnach Glück/ Gnade/ Heyl und Krafft/
Er lasse deinen Fleiß noch fernerhin gedeyen
Er seegne dich/ damit dein Thun nur Nutzen schafft.
So wird durch deine Kunst sich mancher können freuen.

Hiemit wolte seine Schuldigkeit bezeugen
ANDREAS ARNOLD. ERDTSIECK,
Lippstadiensis. L. L. Cult.

ESse Diis similes Medicos ait alta vetustas,
Si poterint alacres miseris afferre levamen,
Et simul eventum truculenti dicere morbi:
At cui Tu similis fies? Doctissime Rödder,
Si quoque fortuitos casus morbosque statera
Perpendes, sicut fines metiris eorum,
Pergas; Attolas artes ad sidera nostras,
Gratulor interea Tibi nunc quod fugeat hora
Dulcis, quæ studium sequitur, ceu laurea pugnam.

In honorem Clariss. Dn. Candidati, Amici
æstimatissimi paucula hæc posuit
JOBUS TIMOTH. MAUL,
Luna-Marcanus. Med. Stud.